

pietissima œconomia fuerit hac in re constabilita.

Aliam quoque speciem indulgentiarum pro lapsis reperies, occasione nempe imminentis alicujus persecutionis; ita ut hi, pace et communionem Ecclesiæ donati, fortius tormenta tolerarent: qua ratione eundem Cyprianum indulgentias impertiisse constat. Præterea hæreticis ad Ecclesiam redeuntibus, si secum reducerent quos suis sophismatis deceperant, humanius consultum, pœnitentiarum scilicet remissione, ex veterum monumentis sat compertum habemus.

Subsequentibus temporibus aliud indulgentiarum genus occurrit, quales in primis pro visitationibus certarum ecclesiarum et altarium quas *Indulgentias Stationarias* appellant.

Harum indulgentiarum institutionem Gregorio Magno attribuit Guilielmus Altiodorensis, in Summa lib. iv, tract. 6, cap. 9, cujus tamen testimonium suspectum vel mendosum Morino visum est. Quomocunque vero se res habeat, certe nihil ex indulgentiarum valore detrahitur, sæculo sexto an posterioribus indulgentiæ hujusmodi stationariæ cœptæ fuerint.

Sic quoque quædam alia indulgentiarum species locum habuit, intuitu nimirum alicujus operis laboriosi in Ecclesiæ utilitatem suscepti, hæc fere formula: *Qui hoc opus egerit, aut, ut peragatur, pro viribus anxius fuerit, peccatorum omnium remissionem consequatur.* Apud Espenium, cap. 1, de Indulg., n. 9.

Opera vero quæ pro lucranda indulgentia imponebantur, hæc ferme fuerunt, scilicet arma contra ethnicos, et hæreticos, aut schismaticos ferre; vel si ipsi non possent, suis sumptibus alere qui ferrent. Insigne hujus indulgentiæ seu remissionis exemplum habemus in expeditione Hierosolymitana.

Concessæ etiam sunt indulgentiæ ob pecuniæ erogationem in ecclesiarum ædificationem aut reparationem; formulaque relaxationis, Morino referente, lib. x, cap. 20, de Pœnitent., sic expediebatur: *Qui denarium in ædificationem aut reparationem hujus ecclesiæ aut oratorii contulerit, tertiam vel quartam, etc., partem pœnitentiarum imponendarum, illi in Domino relaxamus.*

Additque Morinus loc. cit. « Eodem prope tempore extensa est ista relaxatio ad res sæculares, pontium, itinerum, rerumque similium refectionem. Nonnunquam integra pœnitentia relaxabatur; sed raro id sibi arrogarunt episcopi: hoc erat Summo Pontifici, velut communi consensu delatum: vix tertiam pœnitentiæ partem excedebat relaxatio ab episcopis concessa. » — Quas quidem constructiones et opera sat laudabilia existitisse, et Christianorum vel securitati, vel commodo in ordine ad spiritualia plane faventia, quisque rationis compos inficiari minime poterit. « Temporalia, sic Thomas, ad spiritualia ordinantur, quia propter spiritualia temporalibus uti debemus; et ideo pro temporalibus simpliciter non potest fieri indulgentia, sed pro temporalibus ordinatis ad spiritualia: sicuti

repressio inimicorum ecclesiæ, qui pacem ecclesiæ perturbant; vel sicut constructio ecclesiarum, et pontium, et aliarum elemosynarum collatio. Nec fit ibi simonia; quia non datur spirituale pro temporali, sed pro spirituali. » In 4 sent., distinct. 20, quæst. 11, art. 3, quæstiunc. 3.

Jam vero cum quæstores, sic dicti, elemosynarii instituti fuissent, prædicatores nempe, qui occasione alicujus operis in ecclesiæ utilitatem suscipiendi, indulgentiis ad hoc concessis, fidelium oblationes et pecunias colligerent, hi ingenium suum facientes, quædam minus recta circa hujusmodi indulgentiarum virtutem atque efficaciam, sanctissimæ Romanæ et Catholicæ Ecclesiæ disciplinæ attexerunt. Præstat hic audire Benedictum XIV in hæc verba « Nonnullæ aliquando occurrunt indulgentiæ quibus absolutio a pœna et culpa concedi dicitur. Hujusmodi dicendi formula tribuitur præteritorum sæculorum quæstoribus, quos licet affirmare veros fuisse auctores tempestatum quas Ecclesia propter indulgentias perpessa est. Clemens V Pontifex, in Clementina, de Pœnit. et remiss. loquens de ejusmodi quæstoribus, deque publicationibus indulgentiarum quæ per ipsos fiebant, eos dicit solitos fuisse hac formula uti a pœna et a culpa, UT EORUM VERBIS UTAMUR: quo satis ostendit Pontifex incongruum omnino fuisse hujusmodi dicendi modum... Alias itidem reperire est indulgentias millenorum annorum. Porro Sotus... asserere non dubitavit fuisse hæc omnia commenta quæstorum. Estius... aperte ait confictas commentitiasque esse hujusmodi concessionem, ac nullatenus Sanctæ Sedi tribuendas. » De Synod. Diœc. lib. xiii, cap. 18, n. 7 et 8.

Hinc profecto est cur Tridentinum, sess. 21, cap. 9, de Reformat. hujusmodi quæstorum nomen, atque usum, in quibuscunque Christianæ Religionis locis, penitus abolendum esse decreverit.

Quoad vero indulgentiam plenariam attinet « hanc affirmare possumus nonnullorum esse eruditorum sententiam, nimirum omnium primam indulgentiæ plenariæ concessionem qua certo constet eam esse quam Urbanus Papa II, anno 1095 impertitus est iis qui religionis causa, ad recuperandam Terram Sanctam militaturi se conferrent, hanc indulgentiæ plenariæ concessionem cæteris omnibus, quæ cognitæ sunt, antiquitatis prærogativa antevertere demonstrat venerabilis servus Dei cardinalis Thomas... Suspectam ergo aliquis habere posset aliquam plenariam indulgentiam quæ ante prædictum tempus concessa asseratur. At id sufficienti fundamento destitutum alii dicere possent, asserendo nempe quæ existant in actis... collectis opera et studio Emmanuelis a Schelstrate, ubi late agit de concessionibus indulgentiarum plenariarum ante tempora Summi Pontificis Urbani II. » Benedict. XIV loc. cit. n. 6.

Quæ sub n. 25 art. 6, vers. *Hinc ad uberiorem*, basilicas Urbis recensendo, de Orien-

tatis Ecclesiæ patriarchis numero et ordine referuntur, operæ pretium est rectius enucleare.

Sedes patriarchales in maximis tantum urbibus erectas fuisse exploratissima res est. Tres porro ævo apostolorum supereminebant in orbe Romano urbes primariæ, Roma, Alexandria, et Antiochia. Totius orbis domina Roma occidentales præcipue regiones administrabat. Secundam sub sole urbem Alexandriam appellavit Chrysostomus, orat. 22, ubi præfectus Augustalis Ægypto, Africa, et regionibus imperabat meridionalibus. Antiochia, orbis Romani tertia metropolis (Syriæ metropolis) dicta a Josepho lib. iii, de Bello Judaic. cap. 2, n. 4, atque a Chrysostomo, hom. 5 ad Popul., mater urbium orientalium. Eodem ordine sublimiore auctoritatem super Occidentalibus Ecclesiis peculiarem Pontifici Romano, qui cæteroqui Patriarcha Oecumenicus revera est, reliquit; alteram super meridionalibus Alexandrino; tertiam Antiocheno super Orientalibus detulit vetustissima consuetudo ab apostolorum moribus derivata. Eam quippe prima synodus Nicæna ratam habuit, dum can. 6, decrevit, *Antiquos esse mores servandos, qui sunt Ægypto, Libya, et Pentapoli, ut Alexandrinus Episcopus horum omnium haberet potestatem: quia et urbis Romæ episcopo parilis mos esset: similiter, et in Antiochia, cæterisque provinciis privilegia sua unicuique servanda Ecclesiæ.* Adhæc subdit sequenti can. 7. *Helia*, id est Hierosolymæ episcopo, ut honor deferretur (soliis puta præcedentiæ post Antiochenum), *ex more antiquo, manente tamen propria metropolitana civitatis dignitate* (seu potestate).

Imperii autem sede translata Byzantium, quæ urbs, an. 330, Constantinopolis et novæ Romæ nomen accepit, Metrophanes ejus urbis episcopus licet Heracleensis metropolitæ et Antiocheni patriarchæ ad ea usque tempora suffraganeus, ejusque successores, non modo jara patriarchalia sibi usurpare in tribus diœcesibus Thraciæ, Ponti, et Asiæ, sunt aggressi; verum etiam superbo Patriarchæ Oecumenici titulo utentes, provinciæ occidentales intra Romani patriarchatus et diœcesium Occidentis fines sitas, invadere, ac patriarchalem Romani Pontificis dignitatem æmulari cœperunt: effrenaque ambitione, propitiis imperatoribus, et conspirantibus suarum partium episcopis, primum ex thronis patriarcharum vix post Romanum contendere, dejecto exinde Alexandrino archiepiscopo, tum reliquis etiam patriarchis in subsequentes abire gradus compulsis. Concilium Constantinopolitanum I, anno 381, can. 2 *Primum honoris post Romanum episcopum, detulit episcopo Constantinopolitano, propterea quod urbs ipsa sit junior Roma.* At nec hujusmodi canonem, nec alios prædicti concilii Romanam Ecclesiam probasse, apertissime liquet ex S. Leone epist. 53; nec non ex Gregorio Magno, lib. vi, epist. 31, in hæc verba: « Romana Ecclesia eosdem canones (nempe Constantinopolitanos), vel

gesta synodi illius hætenus non habet, nec accepit: in hoc autem eadem synodum accepit quod est per eam contra Macedonium definitum. » — Id etiam constat ex legatorum Apost. Sedis testimonio in conc. Chalced. « Trecentorum decem et octo (*id est episc. Nicænorum*) constitutionibus postpositis, centum quinquaginta (*scilicet episc. Constantinopolit. concilii I*), qui in synodicis canonibus non habentur, mentionem fecisse noscuntur. » — Porro Anatolius Constantinopolitanus episcopus sategit ut act. 15 memorat. synod. Chalced. absentibus Sedis Apostolicæ antedictis legatis, can. 28 conderetur, quo jus patriarchicum sedi Constantinop. confirmatum est, cum facultate ordinandi metropolit. in diœces. Thraciæ, Ponti, et Asiæ. Cumque postero die legati, act. 16 hujusmodi canonem 28 coram ipsis recitatum, circumscribi et revocari institissent, utpote Nicænis regulis adversantem, Patribus tamen canonem illum iterum recensitum, licet Apostolicæ Sedis vicariis refragantibus, comprobare placuit. Deinde in epistola synodica cum iidem Patres Leonem Papam rogassent ut approbationem hac in re non denegaret suam, ac idipsum Marcianus imperator atque Pulcheria augusta postulassent, celeberrimus Pontifex, neque imperatoris, neque augustæ, neque tot Patrum Chalcedonensium, 630 numero, enixis precibus ullo modo flecti passus, canonem prius dictum in irritum misit, et per auctoritatem B. Petri apostoli generali prorsus definitione cassavit. Quinisepta synodus anno 692, renovato supradicti Concilii Constantinopolitani decreto, privilegia quæ Roma senior haberet, similia tribuere sedi Constantinopolitana non dubitavit. Sed synodum hanc erraticam meritissime appellavit Ven. Beda, cujus plures canones rejectos ab Ecclesia Romana fuisse compertum est. Diuturnas Summorum Pontificum contradictiones synodalibus Orientalium decretis pro sede Constantinopolitana fregit summa imperatorum gratia. Posthæc VIII synodus œcumenica an. 869, can. 21, primum gradum Constantinopolitano episcopo post Romanum addixit. Tandem in concilio Lateranensi IV, Innocentius III, can. 5, constituit ut *post Romanam Ecclesiam, quæ, disponente Domino, super omnes alias ordinariæ potestatis habet principatum*, utpote Mater universorum *Christifidelium et Magistra*, Constantinopolitana *primum*, Alexandria *secundum*, Antiochena *tertium*, Hierosolymitana *quartum locum obtineat; servata cuilibet propria dignitate.* — Ex CARD. GALLIARDO, lib. 1, tit. 14, de Patriarch.

Atque hæc in ea quæ cit. n. 25, fortasse minus accurate per modum historiciæ narrationis congesta sunt, notasse sufficiat.

Denique pro coronide præstat ferre in materia indulgentiarum propositiones excerptas inter alias ex pseudoconcilio Pistoriensi (an. 1786), atque damnatas in celebri constitut. Summi Pontificis Pii VI *Auctorem Fidei*, tenoris sequentis.

40.

§ 39. — Propositio asserens, indulgentiam

secundum suam præcisam notionem aliud non esse quam remissionem partis ejus pœnitentiæ quæ per canones statuta erat peccanti; quasi indulgentia præter nudam remissionem pœnæ canonicæ, non etiam valeat ad remissionem pœnæ temporalis pro peccatis actualibus debitæ apud divinam justitiam:

Falsa, temeraria, Christi meritis injuriosa, dudum in artic. 19 Lutheri damnata.

41

Tum in eo quod subditur, *Scholasticos suis subtilitatibus inflatos invexisse thesaurum male intellectum meritorum Christi et sanctorum, et claræ notioni absolutionis a pœna canonica substituisse confusam et falsam applicationis meritorum*; quasi thesauri Ecclesiæ, unde Papa dat indulgentias, non sint merita Christi et sanctorum:

Falsa, temeraria, Christi et sanctorum

INFAMIA, INFAMIS.

SUMMARIUM.

1. Infamia quid sit? — 2. Fama quid sit? — 3. Infamia est duplex, *juris* et *facti*, et quæ sit utraque? — 4. Infamia *juris* dupliciter contrahitur, scilicet ipso *jure* et *facto*, et per sententiam judicis. — 5. Assignantur qui contrahunt infamiam ipso *jure* et *facto* de jure canonico. — 7. Infames jure civili sunt etiam infames jure canonico. — 8. Nisi aliquam infamiam jure civili introductam canones speciatim sustulerint, ut fuit de facto sublata infamia quæ erat decreta mulieribus intra annum viduitatis ad secundas nuptias transeuntibus. — 9. Assignantur qui contrahunt infamiam *juris* per sententiam judicis. — 10. Ad hoc, ut condemnati a judice dicantur infames, requiritur quod sententia condemnatoria non sit suspensa per appellationem, sed jam transierit in rem judicatam. — 11. Referuntur summam omnes infames, sive infamia *juris*, sive infamia *facti*. — 12. Infames, tam infamia *juris* quam *facti*, sunt irregulares, et ordines ecclesiasticos suscipere prohibentur. — 13. Infames tam *juris* quam *facti* excluduntur a dignitatibus et honoribus præsertim ecclesiasticis. — 14. Infames tam *juris* quam *facti* excluduntur ab actibus legitimis et publicis muneribus. — 15. Electio facta de persona infami, seu collatio beneficii, sive sæcularis, sive regularis facta

(4. Infamia est privatio seu diminutio bonæ famæ: est *in re communis*; seu, ut loquuntur juristæ, *Infamia est læsæ dignitatis status legibus et moribus reprobatus*. Sicuti e contra per ipsos juristas. (2. Fama est *illæsæ dignitatis status legibus et moribus comprobatus*: leg. 5, § 1, ff. de Extraordin. cognit.

(3. Infamia est duplex, *infamia juris*, et *infamia facti*. Infamia *juris*, quæ etiam *legalis* dicitur, est quæ ipso *jure* seu lege infligitur, seu decernitur in certa crimina committentes. Infamia vero *facti* est quæ oritur ex evidenti commisso alicujus delicti infamantis, seu vulgata opinione de tali commisso delicto, propter quod delinquentis bona existimatio apud probos, et honestos viros læditur, licet ab ipso *jure* expresse non notetur aliqua infamia, nec per sententiam irrogetur, argum. leg. *neque famosus* 2, C. de Dignit.

(4. Infamia *juris* dupliciter contrahitur,

meritis injuriosa, dudum in artic. 17 Lutheri damnata.

42.

Tum in eo quod superaddit, *luctuosius adhuc esse quod chimæra isthæc applicatio transferri volita sit in defunctos*:

Falsa, temeraria, piarum aurium offensiva, in Romanos Pontifices, et in præxim, et sensum universalis Ecclesiæ injuriosa, inducens in errorem hæreticali nota in Petro de Osma confixum iterum damnatum in artic. 22 Lutheri.

43.

In eo demum quod impudentissime invenitur in tabellis indulgentiarum, altaria privilegiata, etc.:

Temeraria, piarum aurium offensiva, scandalosa, in Summos Pontifices, atque in præxim in tota Ecclesia frequentatam, contumeliosa. ✕

INFAMIA, INFAMIS.

infami infamia *juris* lætæ sententiæ, est ipso facto irrita. — 16. Sic etiam, si quis infamis eligatur seu provideatur post sententiam declaratoriam criminis, cui annexa est infamia ipso *jure*, electio seu provisio est ipso *jure* nulla. — 17. Si autem infamia sit tantum *facti*, quamvis sic infamis non debeat eligi nec provideri, ejus tamen electio seu provisio non videtur ipso *jure* irrita, sed irritanda. — 18. Multi tamen volunt etiam ipsam esse ipso *jure* nullam. — 19. Ob delictum occultum nulla contrahitur infamia neque *juris* neque *facti*. — 20. Imo varii volunt infamiam non incurri quando delictum propter quod ipsa infamia eo ipso irrogatur est occultum, nisi accedat sententia declaratoria. — 21. Infamia ipso *jure*, vel per judicis sententiam contracta, non tollitur per pœnitentiam, sed per dispensationem principis, cujus auctoritate infamia decreta fuit. — 22. Infamia *facti* penitus tollitur per vitæ emendationem, saltem triennale. — 23. Solus Papa dispensat in infamia *juris*. — 24. Episcopus autem dispensare potest solum in infamia *facti*. — 25. Imo alii volunt episcopum seu prælatum neque dispensare posse in infamia *facti*. — 26. Alios infamare quale sit peccatum, et quam obligationem inducat, et an aliquando liceat? *Remissive*. — 27. Se ipsum infamare quale sit peccatum? *Remissive*. — De divisione infamiæ, ejusque effectibus vide amplius a n. 28 ad n. 41.

scilicet ipso *jure* et *facto*, et per sententiam judicis: *Communis*. (3. Infamiam *juris* ipso *jure* et *facto* de jure civili contrahunt sequentes. *Primo*, qui, sive viri, sive feminae, quæstuaria prostitutione lenocinium exercent, leg. *Athletas* 4, § *Ait prætor* ff. de His qui notantur infamia; leg. *Palam* 42, § *Lenocinium* ff. De Ritu nuptiarum. *Secundo*, qui quæstus causa seu pretio accepto, etiam cum homine ad privatum certamen descendunt: l. *Quod ait* 2, § 1, ff. De His qui notantur infamia. *Tertio*, qui ex simili quæstu seu pretio accepto histriones ac turpes ludos agunt: cit. l. *Quod ait* § ult. De His qui notantur infamia. *Quarto*, qui operam suam ad pugnandum cum bestiis locant: leg. 1, § 6 *Item senatusconsulto* ff. de Postulando. *Quinto*, qui vel quæ eodem tempore sponsalia vel matrimonium contrahunt cum duobus vel duobus; l. 1, et l. *Quid ergo* 13, ff. de His qui notantur infamia. *Sexto*, qui crimen perjurii promissorii committunt; l. *Si quis*

major 41, C. de Transact. *Septimo*, usurarii manifesti, et usuras usurarum exigentes; leg. *Improbum* 20, C. Ex quibus causis infamia irrogatur. *Octavo*, hæretici; Authent. Gazaros, Cod. de Hæreticis. *Nono*, mulieres intra annum viduitatis ad secundas nuptias transeuntibus; l. 1, C. De secundis Nuptiis: Ast hæc infamia fuit sublata a jure canonico in c. 4 de secundis nuptiis. *Decimo*, milites ignominiose exauctorati ob crimen commissum; leg. 1 et 2, ff. de His qui notantur infamia.

(6. Infamiam *juris* ipso *jure* et *facto* contrahunt de jure canonico ultra numero antecedenti specificatos, etiam illi qui tales expresse declarantur in c. *Infames* 17, caus. 6, q. 1, ibi: « Infames esse eas personas dicimus quæ pro aliqua culpa notantur infamia, id est omnes qui Christianæ legis normam abjiciunt, et statuta ecclesiastica contempnunt; similiter fures, sacrilegos, et omnes capitalibus criminibus irretitos; sepulcrorum quoque violatores, et apostolorum atque successorum eorum, reliquorumque Patrum statuta libenter violantes, et omnes qui adversus Patres armantur, qui in omni mundo infamia notantur: similiter et incestuosos, homicidas, perjuros, raptos, maleficos, veneficos, adulteros, et de bellis publicis fugientes, et qui indigna sibi petunt loca tenere, aut facultates Ecclesiæ abstrahunt injuste, et qui fratres calumniantur aut accusant et non probant, vel qui contra innocentes principum animos ad iracundiam provocant, et omnes anathematizatos, vel pro suis sceleribus ab Ecclesia pulsos, et omnes quos ecclesiasticæ vel sæculi leges infames pronuntiant. » Et a Concil. Trident. sess. 24, cap. 6, de Reformat. matrimon., declarantur infames mulierum raptos, iisque concilium vel auxilium præbentes, et sess. 25, cap. 19 de Reformat. declarantur infames etiam in duellum descendentes eorumque patrini.

(7. Insuper jure canonico ii omnes censentur *infames* qui tales censentur jure civili, nisi aliquam infamiam jure civili introductam, canones speciatim sustulerint; *Communis*, textu expresso in cap. *Omnes* 2, caus. 6, q. 1, ubi sic præcise habetur: *Omnes vero infames esse dicimus quos leges sæculi infames appellant*; et cap. *Infames* 17, ead. caus. et q. ibi: *Infames esse eas personas dicimus... et omnes quos ecclesiasticæ leges vel sæculi infames pronuntiant*. Dicitur autem notanter:

(8. Nisi aliquam infamiam jure civili introductam, canones speciatim sustulerint. Quia de facto infamia jure civili leg. 1, Cod. de secundis nuptiis decreta mulieribus intra annum viduitatis ad secundas nuptias transeuntibus fuit sublata cit. cap. 4, Ex. de secundis nuptiis.

(9. Infamiam *juris* per sententiam judicis contrahunt sequentes: *Primo*, omnes accusati et condemnati de publico delicto, id est de tali delicto cujus accusatio cuilibet de populo est permissa, ut crimen prodicionis, falsi, adulterii, homicidii: § 1. Institut. de publicis judiciis, et leg. *Infamem* ff. eodem.

Secundo, omnes accusati et condemnati etiam de aliquibus delictis privatis, ut crimen rapinæ, furti, expilatæ hæreditatis, injuriarum, doli mali; quia licet ista censeantur crimina privata, tamen per sententiam judicis condemnatoriam irrogant infamiam cit. leg. *Infamem*, l. *Decuriones* 5, leg. *Furti* 8, leg. *Si expilasse* 12, Cod. Ex quibus causis irrogatur infamia. *Tertio*, omnes illi qui de dolo malo, vel calumnia, aut prævaricatione, in publico judicio condemnati sunt; leg. *Athletas* § *Calumniator*, et § *Prævaricator* ff. de His qui notantur infamia; leg. *Fustibus* 16 Cod. Ex quibus causis infamia irrogatur. (10. Ad hoc tamen ut tales condemnati dicantur infames, requiritur quod sententia condemnatoria non sit suspensa per appellationem, sed jam transierit in rem judicatam; quia, sicuti interposita appellatio suspendit sententiam, ita etiam infamiam ex tali sententia oriundam, ut notant Molina de justitia et jure disput. 9, n. 4, Silvest. verb. *Infamia*, n. 12; Reiffenstuel lib. v decretal. tit. 37, n. 58; Layman lib. 1, tr. 5, part. v, cap. 4, sub n. 1, verb. *Requiritur autem*, et deducitur ex leg. *Furti* 6 § 1 ff. de His qui infamia notantur. (11. Infames in universum, sive *infamia juris*, sive *infamia facti* summam a doctoribus referuntur, ut infra, scilicet apostatæ a fide, sive hæretici, fautores, defensoresque hæreticorum et eis credentes et faventes, schismatici, simoniaci, sacrilegi, sodomitæ, lenones, publici usurarii, duas uxores habentes, ad bestias pugnantes, duellantes, milites ignominiose exauctorati ob commissum crimen, homicidæ, malefici, venefici, militiæ desertores, facultates ecclesiæ auferentes; contra parentes se armantes, fratres calumniantes, et accusantes, et calumniam seu accusationem non probantes, animos principum contra innocentes moventes, fures, raptos, adulteri, incestuosi, perjuri, falsarii, proditores, blasphemii, sive maledici, sortilegi, seu qui ad sortilegos divinosque concurrunt, raptum mulierum perpetrantes, falsum testimonium dicentes, anathematizati, vel pro suis sceleribus ab Ecclesia expulsi, ducentes uxores viles et abjectas, vel meretrices, vel rejectas et repudiatas, vel jocularices, saltatrices, scenicas, ancillas, concubinas. Denique infames sunt artem aliquam vilem, abjectam, vel ignominiosam profitentes et publice exercentes, vel officio vili fungentes, quales sunt mimi, scenici, cynedi, histriones, joculariores, ludentes in scenis, buffones, aleatores publici, carnifices, lictores, macellarii, tabernarii, cauponarii, aurigæ, et alii his similes. Item tutor vel curator qui pupillam sibi vel filio matrimonio junxit; item presbyteri condemnati ad triremes, postquam actu remigarunt; Sac. Cong. S. Officii 4 Junii 1645. Secus si non remigassent; apud Menacell. part. iii, § 13, de Irregularitate, n. 161. Vide Barbos. de Offic. et potest. Episcopi, part. ii, allegat. 43.

(12. Infames tam *infamia juris* quam *facti* sunt irregulares, et ordines ecclesiasticos suscipere prohibentur; cap. *Qui aliquo*

+ Vide pag. 1447.